

qui erat unus ex iis quos hic alloquebatur Christus, non erat prædestinatus: tum quia paulo infra dicitur hæc electio esse causa cur mundus Apostolos oderit, quod electioni ad gloriam utpote ignotæ non congruit. Itaque sermo est vel de electione ad *Apostolatam*, ut textus litteraliter sumptus indicat; vel de electione ad *fidem* aut primam gratiam, ut S. Aug. et D. THOM. contra *Semipelagianos* usurpant.

Ad prob. 2^{am}. D. Salus inchoata, h. e., fides et sanctitas prima non fit ex operibus *C.* salus consummata seu gloria non fit nec prædestinatur ex operibus *Subd.* naturalibus *C.* per gratiam elicitis ac supernaturalibus *N.* Textus *primus* ostendit principium, unde sit Redemptio generis humani et virtus baptismi, ut ex eo integre recitato liquet: *Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus S. etc.; secundus* vocationis initium et motivum: in utroque autem excluduntur duntaxat opera mere naturalia.

Ad prob. 3^{am}. D. Prædestinatio ad gratiam dicitur sors *C.* ad gloriam *Subd.* quatenus per sortem intelligitur hæreditaria portio *C.* quatenus intelligitur lucrum sine merito *N.* Loquitur autem textus *primus* de prædestinatione ad gratiam; *secundus* de ea ad gloriam, accipiendo sortem pro hæreditatis parte.

Ad prob. 4^{am}. R. D. 1^{am}. p. Discretio formalis pertineret ad homines *C.* causalis *Subd.* quatenus hæc refertur præcise ad gloriam *C.* ad gratiam *N.* Textum pertinere ad gratiam primam et initium fidei, ex Aug. L. de Præd. Sanct. c. 4. et L. 2. ad Bonifac. c. 7. n. 45. jam alibi dictum est. Quamvis autem ad discretionem formalem concurrat homo, et ejus merita supernaturalia moraliter moveant ad prædestinationem gloriæ, primas tamen in ea habet bonitas Dei, qui, dando gratiam, unde discernamur impertit: quare 2^a. pars vel absolute negatur; vel qui gloriatur, non eum in se ipso, sed in Domino gloriari oportet.

Inst. 3. Prædestinatio ad gloriam multis titulis in Scriptura declaratur mere gratuita; nam *primo*, ipsa gloria vocatur gratia ad Rom. 6. 23. *Gratia Dei vita æterna. Secundo*, prædestinationis ratio unice sumitur a voluntate Dei; Ps. 17. 20. *Salvum me fecit, quoniam voluit me*; item ex plurimis locis, ubi electio dicitur fieri secundum *consilium voluntatis* et *beneplacitum Dei. Tertio*, omnes prædestinationis effectus sunt gratuiti; de gratia et fide quidem constat *art. pr.*; de justificatione etiam patet ex ep. ad Rom. 3. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem*; de salute et gloria autem ex Ps. 55. 8. *Pro nihilo salvos facies illos.* Ergo et ipsa prædestinatio est mere gratuita.

R. Ad prob. 1^{am}. D. Gloria est gratia formaliter et in seipsa *N.* metonymice et in operibus *C.* Vitam æternam reddi tanquam bonis operibus debitam, de fide est, adæque gloria nequit dici formaliter et in se *gratia*; quia tamen hæc bona opera per gratiam Dei sunt meritoria, ideo interprete Aug. L. de Corr. et Gr. c. 13. n. 41. gloria nomine gratiæ ab Apostolo donari potuit.

Ad prob. 2^{am}. D. Ratio prædestinationis ultima et præsupposita unice sumitur a voluntate Dei *C.* proxima et hic controversa *N.* vel *Subd.* Sumitur unice a voluntate Dei per hoc excludendo tum opera naturalia, tum merita

quæcumque prædestinationis ad primam gratiam *C.* excludendo opera supernaturalia et motivum seu meritum gloriæ *N.* Bonitas Dei in omnium sententia assignatur pro causa motiva: similiter gratiæ efficacia et discretionis radix, atque hinc prædestinationis ratio ultima a Deo repetenda; sed de his sermo non est, dum de omnimoda prædestinationis gratuitate agitur. Psalmista loquitur duntaxat de salute *temporali* et liberatione ex angustiis; ejusdemque causam mox adjungit justitiam, innocentiam et obedientiam suam. Item propositum, consilium voluntatis et beneplacitum sæpius a Scriptura usurpatur pro eodem, et ad indicandum decretum liberale et gratuitum; sed tum pertinet ad prædestinationem sumptam vel adæquate vel inadæquate ad gratiam, opponiturque merito operum Pelagiano et Semipelagiano.

Ad prob. 3^{am}. N. A. Gloriam enim in tempore non dari gratis, ut datur gratia, certum est de fide. Textus plane huc non spectat, cum ita exponendus sit: nullo modo salvabis eos.

Inst. 4. S. PAULUS ad Rom. 9. 11. videtur ex professo probare gratuitam prædestinationem ad gloriam: *primo* quidem, exemplo gemellorum *Jacob* et *Esau*, quorum sors in divinis benedictionibus diversa, non ex operibus, sed antecederet ad merita fuit determinata: *secundo*, quia electio aliquorum ad gloriam est pura misericordia, juxta illud Exodi: *Miserebor, cujus misereor*; et illud Apostoli: *Ergo cujus vult, miseretur*; quibus declaratur, omnem in salutis negotio successum prosperum esse effectum misericordiæ divinæ, non autem voluntatis aut contentiōnis humanæ: *tertio*, quia omnes homines sunt in manu Dei, sicut lutum in manu figuli: figulus autem luti habet potestatem ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam; quo exemplo gratuita Dei electio ad gloriam ab iniquitate vindicatur, et querulorum objectio solvitur.

R. 1^o. N. agi hic de prædestinatione ad gloriam, cum sermo sit de prædestinatione ad gratiam fidei ac justitiam. Neque his dictis officit, tum quod hic mentio fiat *propositi secundum electionem*, quæ vox ad Rom. 8. sumitur pro prædestinatione ad gloriam: tum quod prædestinati comparentur cum vasibus honoris et misericordiæ, ac preparatis ad gloriam. Nam *primum* multiplex ex capite esse falsum constat tum ex num. 227., tum ex num. 193. in *secundo* autem præterquam quod possit intelligi gloria Dei extrinseca seu clarificatio, illa comparatio non evincit agi de efficaciter electis ad gloriam; justificatus enim hic dicitur vas in honorem ac misericordiæ, ac gratia Dei dirigitur et ordinatur in gloriam, quin debeat esse efficaciter ad gloriam electus, ut ex textibus *Osee* et *Isaiæ* versibus seqq. mox subjunctis manifestum est.

R. 2^o. Admisso etiam sensu *allegorico* vel *accommodatitio* de prædestinatione ad gloriam, quem nonnulli Patrum usurpant, *N.* prædestinationem gratuitam, et quæ prævisionem meritorum antecedit asserti.

Vers. 11. 12. et 13. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: quia major serviet minori; sicut scriptum est, Jacob dilexi, Esau autem odio habui, excluduntur duntaxat opera jam facta et acta posita, non autem quælibet opera prævisa, ita ut sensus sit: cum gemelli Rebeckæ filii in rerum natura nondum existerent, ac proinde neque bonum quidpiam neque malum fecissent (ut homines et ipsam Dei electio-*

nem et ejus certitudinem cognoscerent) non ex operibus jam factis, sed a Deo præcognitis, qui juxta ep. ad Rom. 4. 17. et Isa. 49. 1. vocare dicitur ea quæ cognoscit, dictum et prænunciatum est quod, siue in sensu historico siue in sensu figurativo, *Jacob* ob merita prævisa sit electus, *Esau* ob demerita prævisa sit reprobatus. Quod autem non debeant excludi etiam opera prævisa, colligitur partim ex eo quod videatur hic figurari reprobatio *positiva*, cum majorem servire minori non dicat quid mere negativum, sed positivum quid, duram scilicet servitutem; partim ex eo, quod adversarii etiam a negativa reprobatione non excludant omne demeritum; cum admittant peccatum originale esse causam reprobationis negativæ.

Vers. 14. 15. *Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum? absit! Moysi enim dicit: miserebor, cujus misereor, et misericordiam præstabo cujus miserebor.* Sive hic dicatur Paulus velle occurrere tacitæ objectioni, siue probare quod nostrum non sit quærere occultas causas et soli Deo cognitias, cur *Jacob* dilexerit, et *Esau* rejecerit; sicut Deus Moysi non permisit quærere, cur aliquos ob adoratum vitulum occiderit, alios non; *sensus testimonii* est: miserebor in tempore per gratiæ et gloriæ collationem, cujus ab æterno misertus sum per prædestinationem, opera gratiæ misericorditer datæ prævisa subsequentem.

Vers. 16. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* His verbis ad historiam *Jacobi* et *Esau* Genes. 27. expositam alludentibus, non excluditur humanæ voluntatis cum gratia divina cooperatio, ut vult Calvinus; nec meriti ratio in prædestinatione, ut Adversarii contendunt, sed Apostolus unice intendit in salutis negotio primas partes esse tribuendas divinæ gratiæ, utpote sine qua præcurrente et adjuvante boni omnino nihil operari nec mereri quidpiam valemus: itaque misericordia etiam in nostro systemate primum locum obtinet.

Vers. 17. *Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam.* Particulam ut indicare hic duntaxat eventum, vel causam non nisi secundariam ac consequentem ad prævisionem contumaciæ *Pharaonis*, asserunt Catholici contra Calvinum omnes; unde ex negata hic mere arbitraria reprobatione argumentum fieri potest pro mere gratuita prædestinatione neganda. Hinc etiam patet, quomodo exponendus sit hic vers. 18.: *Ergo cujus vult, miseretur, et quem vult, indurat, scilicet permissive; ut alibi est expositum.*

Vers. 19. 20. *Dicis itaque mihi: Quid adhuc queritur? voluntati enim ejus quis resistit? O homo! tu quis es, qui respondeas Deo? numquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic? an non potestatem habet figulus luti ex eadem massa facere aliud vas quidem in honorem, aliud vero in contumeliam?* Comparatio *figuli* ad hoc inducitur, ut doceat *PAULUS*, neminem debere oggannire Deo, et rationem ab eo sui decreti exigere, sicut nec figmentum respondet *figulo*: cur me fecisti sic, quanquam factum sit in contumeliam. Vis argumenti hujus a minori ad majus instituti stat in triplici collatione. 1º. enim comparatur *figulus*, id est, homo infirmissimus cum Deo potentissimo: si ergo *figulus* potest, multo magis potest Deus. 2º. confertur lutum cum homine: si ergo *figulus* ex eadem massa, in qua nulla est differentia, facere vas possit aliud in honorem, aliud in contumeliam; quanto magis potest Deus ex hominibus, in quibus tanta est voluntatum et meritorum differentia,

alios prædestinare, alios reprobare. 3º. componitur verbum faciendi cum verbo sustinendi; si ergo *figulus* potest facere vas in contumeliam; quanto magis Deus potest homines jam factos per se malos, non facere, sed sustinere. Cæterum non explicandam hanc comparisonem esse de prædestinatione gratuita et reprobatione negativa, ostenditur tum ex eo quod, hac data expositione, non tollantur sed augeantur difficultates, quas sibi objecerat Apostolus: tum ex eo quod vas in honorem fiat Deo non agente solo, sed ipso etiam homine faciente, ut ait *PAULUS* 2. ad Tim. 2. 20. *In magnâ domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia; et quedam quidem in honorem, quedam autem in contumeliam. Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum; denique ex eo quod, vi comparationis, Deus non minus arbitrarie reproberet, ac gratuito prædestinat, atque utrumque positive faceret.*

Vers. 22. et 23. *Quod si Deus volens ostendere iram et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam.* Aposiopesis hic est, et supplendum: Quis respondebit Deo, aut eum accusabit, si volens ostendere iram sustineat etc.; quæ sententia responderetur objectioni v. 19. oppositæ, quasi Deus injuste queratur de induratis, eosque puniat, cum tamen ipse homines induret. *Sensus enim solutionis* hic est: Indurati ipsi positive se fecerunt et aptaverunt vasa iræ; Deus ergo eos non fecit tales; sed sustinuit et patienter permisit eos peccare, differens diu supplicium, unde eos indurasse dicitur. Ne autem ex patienti hac peccatorum ad respiciendam expectatorum toleratione Deus insimuletur aut impotentia, aut malignitatis in homines, causa hujus patientiæ duplex affertur; 1º. ut ex severitate pænæ in impœnitentes cognoscatur Dei potentia: 2º. ut ex misericordia in pœnitentes palam fiat bonitas Dei et liberalitas in sanctos et electos, quibus non præparavit pœnam sed gloriam. Cæterum si etiam illi, quibus Deus præparavit gloriam, non annumerentur iis, quorum respiciendam Deus expectavit, inde tamen præparatio gratuita non evincitur; tum quia præparatio ad gloriam fit per gratiam ad bona opera: tum quia nec absoluta et efficax nec antecedens meritum præparatio ad gloriam hic asseritur; sicut absoluta et efficax aptatio ad interitum præcedens demeritum hic non statuitur.

228. *Obj. II.* Probationes ex PATRIBUS desumptæ nihil faciunt pro sententia nostra. Nam de PATRIBUS, qui scripserunt ante exortam hæresin *Pelagianorum*, minus sollicitos nos esse debere monuit S. AUC. L. de præd. Sancti. c. 14. n. 27. scribens: *Quid opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui, priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum questione versari, quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur.* Suadet etiam ratio: propterea quod iidem breviter tantum ac transeunter, quid sentirent attigerunt, et disputarunt contra alios Ecclesiæ hostes, aut populum ad virtutis studium adhortabantur; ut ibid. AUC. exponit.

R. N. Ass. *Ad prob.* Quæro num controversia nostra sit eadem cum illa, de qua sententia S. AUC. profertur, an vero sit diversa ab ea? si 1º. ergo questio versatur circa dogma fidei, ita ut una pars dicenda sit hæretica,

quod oppido falsum est: item sententia, quam hic Aug. tuetur, est approbata ab Ecclesia, ac praesertim a Cœlestino I. in ep. ad Gallos, adeoque debet esse conformis priorum Patrum elogiis; cum Pontifex ille ac Conc. Araus. doctrinam Augustini laudent tanquam acceptam ab Ecclesiae Patribus. Si 2^{um}. ergo illa Augustini gnomo non pertinet ad rem praesentem. Praeterea S. Doctor non rejicit hic absolute auctoritatem priorum Patrum tanquam rem quae nullius momenti sit, aut nihil habenda; cum ipse tum *ibid.* tum in LL. contra Julianum studeat auctoritatem sibi vindicare; sed ex supposito duntaxat, si nempe Patrum sententia non congruat cum aperta veritate aut sacris Scripturis, vel ea ex professo et suscepta accuratior SS. Litterarum explanatione non fuerit proposita, quorum nihil asserti potest de Patribus superius laudatis.

Inst. 1. Patres nobis faventes possunt commode exponi. Dum enim dicunt, praedestinationem fieri secundum praescientiam meritorum, vel loquuntur de praedestinatione ad gloriam secundum ordinem executionis, non autem secundum intentionis ordinem; vel de praescientia efficaciaci et practica seu ipsa praedestinatione, ut in simili causa S. Aug. L. de don. persev. c. 19. hanc vocem apud Patres explicat; vel dicunt usum gratiae et merita nostra esse causam praedestinationis nostrae, sed finalem, non efficientem seu meritoriam, ut hic docet S. Thom. q. 23. a. 5. *Conf.* Idem Patres nobis etiam contrariantur; nam CHRYS. seu Auctor oper. imperf. in Matth. hom. 54. ait: *Quos ante constitutionem mundi suos cognoscit esse, tantis eos laboribus onerat, et tamdiu laborare facit, donec digni efficiantur regno caelesti*; CYRIL. Alex. autem L. 10. in Joan. c. 15. (opp. t. 4. p. 892.) *Ego elegi vos, non vos me: ego me notum vobis ignorantibus feci humilitate clementiaque commotus etc.*

R. N. Ass. In cujus refutationem sufficiat adduxisse testimonium S. PROSPERI, qui in ep. ad S. AUG. n. 8. de controversia praesenti ita ex proprio sensu scribit prope finem: *Illud qualiter diluatur, quaesumus, patienter insipientiam nostram ferendo, demonstres, quod retractatis priorum de hac re opinionibus pene omnium par invenitur et una sententia, qua propositum et praedestinationem Dei secundum praescientiam receperunt; ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliae fecerit, quia finem uniuscujusque praeviderit, et sub ipso gratiae adjutorio, in qua futurus esset voluntate et actione, praesciverit.* Praeterea primam expositionem minus commodam esse, constat ex dictis num. 226. Idem patet de secunda, quae quamvis locum habeat in Patrum scriptis, ubi de gratia loquuntur, tamen eorum dictis de gloria nullatenus congruere possunt. Tertia denique refellitur ex eadem testimoniorum claritate; neque illi favet S. THOMAE auctoritas, qui loc. cit. ad 4. dicit, usum gratiae praescitum, esse rationem collationis gratiae tantum secundum rationem causae finalis; statuens sub diversa ratione merita posse dici causam tum finalem tum meritoriam, negatque solum dari causam meritoriam respectu praedestinationis adaequatae sumptae.

Ad Conf. R. neutrum testimonium obstare nostrae sententiae. Non 1^{um}. quia vult quidem per labores obtineri caeleste regnum ab iis, quos ante mundi constitutionem Deus cognoscit esse suos; sed num eos cognoscat suos ante meritorum praevisionem, neene, hic non explicat; alibi autem CHRYS. mentem suam pro nobis luculenter aperit. Non 2^{um}. quia hic non agi de

electione ad gloriam, sed ad *Apostolatum* vel *gratiam*, supra est demonstratum.

Inst. 2. Patres, qui post S. Aug. floruerunt, apertissime tradunt praedestinationem gratuitam; S. PROSPER ad excerptum Genuens. 6^{um}. *Absit talis impietas, ut quemquam putemus meritis suis erui de potestate tenebrarum, et in regnum Dei Filii debita, non gratuita adoptione transferri.* In resp. ad object. 11. Vincent. inquit: *Ad praedestinationem nihil aliud referrri potest, nisi quod aut ad debitam justitiae retributionem, aut ad indebitam pertinet gratiae largitatem.* Et L. 1. de voc. Gent. c. 17.: *Sunt, qui longam agentes in flagitiis aetatem, Sacramento Baptismatis in ipso vitae sine renovantur, et sine ullo suffragio bonorum operum in regni caelestis consortium transferuntur.* S. FULG. L. de Fide ad Petrum c. 3. n. 40. ait: *Illi cum Christo regnabunt, quos Deus gratuita bonitate sua praedestinavit ad regnum.* Et L. 1. ad Monim. c. 13. *Quos praedestinavit ad gloriam, praedestinavit ad justitiam: quos autem praedestinavit ad poenam, non praedestinavit ad culpam.* GREG. M. L. 1. Dial. c. 8. *Ipsa, inquit, perennis regni praedestinatio ita est ab omnipotente Deo disposita, ut ad hoc electi ex labore perveniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis Deus ante secula disposuit donare.* S. BERN. in Cantica Serm. 78. n. 3. *Intuere nunc mecum in hoc tam magnifico opere nostrae salutis tria esse quaedam, quae sibi vindicat auctor Deus, praevenitque in illis omnes auxiliatores et cooperatores suos, praedestinationem, creationem, inspirationem; ergo.*

R. N. Ass. Quoad textus S. PROSPERI R. Ad 1^{um}. hic asserti gratuitatem praedestinationis ad gratiam, et negari meritum operibus naturae. Ad 2^{um}. praedestinatio ad gloriam merito etiam indebitae gratiae largitati tribuitur in sua scilicet radice ac origine; certum tamen est gloriam in se esse debitum justitiae praemium. Ad 3^{um}. unum id hic docetur, quod nonnulli post vitam scelerate transactam in fine convertantur, et Deo miserente expungant crimina ardore contritionis et baptismi efficaciaci, licet non diuturnitate poenitentiae: hoc autem praedestinationem gratuitam non probat.

Quoad textus S. FULG. R. Ad 1^{um}. sermonem hic fieri de collatione gloriae, quam sine meritis non dari certum est, ac proinde excludi tantum merita naturae non gratiae. Ad 2^{um}. asserti quidem hic societatem, quae est inter utramque praedestinationem ad gloriam praeter illa ad justitiam. Textus S. GREG. nihil continet, quod gratuitatem praedestinationis insinuet. In textu autem S. BERN. excluditur cooperatio tum angelorum tum hominum ad nostram salutem ab aeterno praevisa. Caeterum agi hic de praedestinatione ad gratiam vel saltem adaequatae sumptae, praeter plura in ipso contextu, satis indicat una inscriptio, quae sic legitur; *Quod sponsa, id est, Ecclesia electorum praedestinata est a Deo ante secula, et praevienta ab eo, ut quereretur eam et converteretur.* Praeterea ordinem in hoc negotio S. Doctor his verbis describit: *Plane quam ab aeterno praescivit, quam elegit, quam dilexit, quam condidit etc.* Unde praecedere meritorum praescientiam constat.

Inst. 3. S. THOMAS pluribus in locis nobis est contrarius. Nam primo, Lect. 3. in c. 9. ep. ad Rom. ait: *Non potest esse quod merita consequentia gratiam sint ratio miserendi aut praedestinandi, sed sola Dei voluntas.* Quibus similia in comment. ad c. 3. ep. ad Ephes. et q. 9. de verif. a. 2. habet. Secundo, in Summa part. 1. q. 23. a. 4. docet praedestinationem aliquorum in salutem

æternam præsupponere, secundum rationem, quod Deus velit ipsorum salutem, eligendo et diligendo; in *resp.* ad 2. autem dicit electionem divinam non requirere aliquod bonum præexistens, ut in humanis accidit. *Tertio*, ead. q. a. 5. tum in *corpore* articuli tum in *resp.* ad 4. non aliam prædestinationis rationem admittit, quam voluntatem divinam.

R. N. Ass. præsertim cum aperte nobis faveat. Nam Lect. 6. in c. 3. ep. ad Rom. ait: *Dicunt quidam, quod præscientia meritorum bonorum et malorum est ratio prædestinationis etc. Et hoc quidem rationabiliter diceretur, si prædestinatio respiceret tantum vitam æternam, quæ datur meritis: sed sub prædestinatione cadit omne beneficium salutare, quod est homini ab æterno divinitus præparatum.* Distinguit hic prædestinationem adæquatam ab inadæquata, quæ tantum est ad gloriam, et hanc ex prævisis meritis fieri, ait, rationabiliter dici posse. Item Lect. 1. in c. 1. ep. ad Ephes., in 1^{um}. dist. 41. a. 3. ad 5., et p. 1. q. 23. a 5. in 0. distinguit inter causam voluntatis divinæ et voliti a Deo; et quamvis neget dari rationem vel motivum creatum respectu voluntatis divinæ prædestinantis, concedit tamen merita dici posse causam et rationem gloriæ scilicet prædestinatæ seu in prædestinatione. Itaque in *primo*, loquitur de prædestinatione inadæquate sumpta ad gratiam: in *secundo*, sumit prædestinationem adæquatam, et prout ad gratiam simul est: in *tertio*, eadem est prædestinationis, nempe adæquatæ, acceptio: alii tamen volunt agi hic de prædestinatione non absolute sed *comparative*, unius scilicet præ alio; tum quia alias sequeretur, etiam positivam reprobationem haberi ab una Dei voluntate sine ullis ex parte reprobii demeritis: tum quia in dicti confirmationem adducitur textus ille Aug.: *Quare hunc trahat, et illum non trahat, noli velle iudicare, si non vis errare.*

229. *Obj. III.* Qui ordinate ac sapienter vult, prius attendit finem quam media; quia a voluntate finis movetur ad electionem mediorum: sed Deus omnino ordinate ac sapienter vult, ergo prius vult gloriam, quæ est finis, quam gratias et merita, quæ sunt media. *Conf.* Qui decernit media ad finem certo et efficaciter conducentia, debet habere efficacem finis intentionem; sicut qui decernit media sufficientia, debet habere intentionem saltem inefficacem: sed Deus electis suis decernit media ad finem seu gloriam certo et efficaciter conducentia; ergo.

R. D. M. Qui ordinate vult, prius finem intendit, siquidem velit finem sub unica ratione finis T. si finem velit sub ratione præmii et mercedis *subd.* prius vult finem conditionate et ineffaciter C. absolute et efficaciter N. Gloria intenditur, non præcise ut finis, sed ut præmium et merces; quod vero sic intenditur, non intenditur absolute sed conditionate, nempe si is, cui gloria intenditur, laborare velit ad eam obtinendam; unde et inefficax intentio appellatur.

Ad Conf. R. 1^o. N. M. Quia multi etiam reprobii media efficacia ad bonos actus recipiunt, ut Judas longe pluribus et efficacioribus gratiis donatus fuit, quam multi prædestinati.

Ad prob. *Disparitas* est 1^o. quia mediorum *sufficientia* est ex ipsa mediorum natura, adeoque qui media vult, debet saltem habere intentionem finis inefficacem: mediorum autem ad gloriam *efficacia* non est ex ipsa eorum natura, sed saltem est dependens a libera creaturæ cooperatione, adeoque

qui hæc media vult, non potest intendere finem nisi dependenter a libera cooperatione creaturæ, et consequenter non habet intentionem absolutam et efficacem finis. 2^o. Quia omnis electio mediorum supponit aliquam finis intentionem; ergo ex electione sufficientium mediorum recte inferitur saltem inefficax intentio: e contra non omnis electio mediorum efficacium supponit determinate intentionem efficacem; quia nihil obstat, quominus etiam media efficacia eligantur, ex intentione finis inefficaci, maxime si illa intentio ex parte volentis sit seria, sincera et efficax, et tantum conditionata ex parte creaturæ; ergo ex electione mediorum efficacium non recte inferitur intentio absolute efficacis.

R. 2^o. D. M. Qui decernit media ex natura sua absolute ac omnino independenter ad finem certe et efficaciter conducentia, habet efficacem finis intentionem C. qui decernit media conditionate tantum et dependenter a libera creaturæ cooperatione ad finem certo conducentia N. Hoc vero multo magis dicendum est, ubi finis est præmium, quod operationem et meritum prærequirit.

Inst. 1. Qui vult gratias, quas præscit efficaces fore, et maxime si eas velit *qua efficaces*, ille præcise intendit earum effectum, seu finem: sed Deus non tantum vult electis gratias quas efficaces fore præscit, sed etiam qua inefficaces; et gloria est earum effectus seu finis; ergo. *Conf.* Deus vult gratias efficaces ex affectu speciali erga salutem prædestinatorum; ergo etiam vult illas qua efficaces salutis.

R. D. min. Deus electis vult gratias qua efficaces finis proximi, qui est opus salutare C. vult qua efficaces finis remoti, qui est gloria N.

Ad Conf. R. D. A. Deus vult gratias efficaces ex speciali affectu *transitive* tali, seu qui sit natura vel ratione prior, formaliter efficaci; et directe feratur in salutem, inferatque electionem gratiarum efficacium pro his potius quam aliis N. ex speciali affectu *intransitive* tali, seu qui sit mere concomitans, et sistat intra limites complacentiæ simplicis circa salutem, et præterea formaliter sit inefficax, quamvis virtualiter etiam efficax salutis dici queat C. Distinctio patet ex *supra dictis* paritate cum prædefinitione; unde etiam constat quomodo intentio dandi totam seriem gratiarum, supposita generali voluntate salvandi omnes in charitate finaliter perseverantes, sit virtualiter efficax volitio prædestinatis dandi gloriam.

Inst. 2. Deus prius eligit ad fidem, quam eligit media ad fidem, ut colligitur ex S. Aug. L. de don. persev. c. 14. n. 35. ubi de Tyriis, qui si vidissent Christi opera, credidissent, ait: *Sed quoniam ut crederent non erat eis datum, etiam unde crederent est negatum;* ergo voluntas finis efficax sicut hic, sic etiam in aliis, maxime in electione ad gloriam, est prior voluntate mediorum. *Conf.* Gloria non tantum habet rationem præmii, sed etiam *hereditatis*: sed hæreditas efficaciter intenditur ante merita prævisa; ergo.

R. N. Cons. Tum quia ex particulari affirmato universale non sequitur: tum quia a prædestinatione ad fidem paritas fieri non potest ad eam, quæ est ad gloriam. Discrimen enim 1^o. est in *finibus*; quia fides est finis absolutus, non pendens a meritis, sed omne meritum præcedens; gloriam autem est finis conditionatus a meritis dependens: absolute autem decerni finem absolutum non repugnat, ut absolute et ante conditionis absolute futuri prævisionem decerni finem conditionatum. 2^o. est in *mediis*; quia media actus